

1702. X, 5-39 — Duas cartas da duquesa da Baviera, uma para a rainha viúva e outra para a rainha D. Leonor, mulher de el-rei D. Manuel I, a respeito do casamento de seu filho com a filha deles. 1519, Dezembro, 5 — *Papel. 2 folhas. Bom estado. Selo de chapa.*

*Illustrissima regina consanguinea charissima salutem prosperorum-  
que successuum incrementa.*

*Qui sacratissimum conjugii vinculum non sumopere laudant indigni*

perfecto illi michi videri debent quod ex ullo hominum genere judicentur divinitus enim hoc a Deo maximo optimoque in amenissimo Paradiso institutum est matrimonium per quod fortissimi constringuntur nexus scaturiunt amicicie oriuntur consaguinitates procedunt necessitudines et intimi amores que superioribus annis ex inito indissolubili matrimoniali nexu inter quondam invictissimum romanorum Cesarem Federicum vestre illustrissime dominationis proavum sacratissime recordationis parentem meum charissimum et reginam Portugalie olim genitricem meam amatissimam comprobata expertaque fuere.

*Ne* ergo hec tam laudabilis olim contracta affinitas lapsu temporum dilabatur evanescatque sed strictius sacratissimo conubii nexu renovetur serenissimo regi vestro illustrissimo dominationi conthorali domino et consaguineo nostro charissimo mentem meam fiduciali spe freta adaperui animumque laxavi ut si menti cordique ejus infideat filiam suam nubilem illustrissimo duci Guilhelmo palatino Reni utriusque Bavarie duci filio meo primogenito charissimo quem vestra illustrissima dominatio in Brabantia novit pro renovacione vetuste necessitudinis nuptui traderet.

*Etsi* suo celsitudini placitum videretur pro disponendis mittendisque oratoribus pro tam sanctissima re agenda mandaret juberetque.

*Cum* ergo illustrissime dominationi vestrae clarissimum Bavarie strema ex regali cesareaque prosapia parta satis cognitum est eandem illustrissimam dominationem vestram enixe obtestor ut pretextu duplici consaguinitatis nexu quo a majoribus vestris serenissimoque conthorali illustrissime dominationis vestre constricti sumus hoc sacratissimum propositum cordi animoque infingere pro indissolubili connubii vinculo contrahendo apud serenissimum Portugalie regem conthoralem serenissime dominationis vestre charissimum sollicitare procurare et ea qua decet moderatione instare velitis qua re graciosius michi jure consaguinitatis nichil unquam prestare poteritis.

*Etsi* quid opera mea efficere possem eadem illustrissima dominatio (cui me filiumque meum charissimum Guilhelmu plurimum comendo) arbitrarie utatur.

*Valete* felicissime.

*Datum* ex oppido monachii nona Decembris anno incarnati verbi MDXIX.

Cunegundes dux Bavarie manu propria.

*No verso:* Serenissime illustrissimeque domine Leonore juniore regine Portugalie etc<sup>a</sup> consaguinee sue charissime.

(A. E.)

*Illustrissima* regina consaguinea charissima salutem fortunatorumque successuum incrementa.

*Cum* nullus amicicie vel necessitudinis nexu mortalium animos eque

sancte ac feliciter conjungere amoresque indissolubilius conciliare valeat quam divinum illud celitusque institutum matrimonii vinculum ideo majores nostri superioribus annis hanc divinam societatem inierunt ut majore necessitudine amorisque vinculo constricti forent.

*Novit* enim vestra illustrissima dominatio me ex regio sanguine Portugalensium materna prosapia natam haud abs re in dies noctesque remis ac velis amittor ut salubrem illam quondam conjunctionem necessitudinisque nexum novo sacratissimi conubii vinculo restauremus serenissimo enim regi Portugalie scriptis meis aperui ut illustrissimo principi Guilhelmo filio meo charissimo primogenito filiam suam conubio jungerent sue tamen serenissime majestatis imperio et voluntati reliqui quam rem pro sua ineffabili prudentia pensitare poterit hujusmodi enim sacratissimo conubio intermisisse utriusque necessitudines reviscerent atque innovarentur.

*Preterea* illustrissimam dominationem vestram rogo obsecroque ut hec in laudabili proposito opera vestra non desit sed regiam majestatem in eam quantum valeat inducat sententiam ut letus celebretur himeneus quod orationibus meis erga Deum Omnipotentem pro saluberrima longevaque illustrissime dominationis vestre validudine precanda polliceor.

*Cum* hiis valeat vestra illustrissima dominatio cui me et filium meum Guilhelmum amicissime commendo.

*Datum* ex oppido monachii nona Decembris anno christianissimi partus M.DXIX.

Cunegundes dux Bavarie manu propria.

*No verso:* Serenissime illustrissimeque domine Leonore Seniori regine Portugalie consaguinee sue charissime.

(A. E.)